

a 1522 ad 1533 = 257 ut 42

Petrus Tomicki, Sigismundo primo regi Poloniae.

218

Serenissime princeps et domine domine clementissime. Post perpetua servitutis et orationum mearum humilem commendationem. Credo non ignorare vestram serenissimam maiestatem, dominum olim Nicolaum Salomonem, ut posteritati suae consuleret, in hunc ordinem suam ultimam voluntatem digessisse, ut neque prius vel ea, quae ad haeredes vel legitime transmissurus esset, vel in legatorum fidei commissorumque modum relicturus, in testamento conscriberet, quam se vivente advocatus cum scabinis, hoc est ii ad quos in civitate Cracoviensi testamentaria cognitio pertinebat, iudicialiter decrevissent eum in omnibus bonis paterno vel materno iure ad se devolutis, liberam habere testandi potestatem, neque iam scripta aliter firma et valida esse debere fuerit arbitratus, quam publicis quoque libris et sigillis essent inscripta et roborata, cum hac adiecta approbationis formula: in quantum ea ordinatio iuri Magdeburgensi et plebisuitis civitatis non esset contraria. Quae res tamen illo mortuo absque controversia inter cognatos esse non potuit, cum alii nunc, ut dominus Nicolaus Glinshii possessionem contra testamentum petant, alii secundum testamentum, prout ex iudicio et voluntate defuncti deprehenderetur, se haeredes vel legatarios decerni contendant. Cuius quidem

rei

rei cum iam ante apud maiestatem vestram quaestio esset habita; placuit maiestati vestre illam consulis Cracoviensibus iure Magdeburgensi definiendam committere, qui parentes mandato maiestatis vestre decreverunt, ut cum primum testamentum resignaretur, et voluntas testatoris, quantum ius pateretur, in suo robore conservaretur. Quia vero ab eo Decreto consulum dominus Gliniski ad maiestatem vestram appellavit; consules ipsi, tametsi alias postea à maiestate vestra acceperint literas, quibus illis mandare dignata est, ut in hac causa id, quod iustum et equum illis videretur, decernerent. Illi tamen arbitrati non posse se quidquam definire, appellatione domini Gliniski apposita, à qua recedere noluit, suspenderunt litem, et cognitionem negotii ad maiestatem vestram relegarunt, ad quam nunc uterque litigator pro se quisquam elaboraturus proficiscitur. Ego vero opere pretium me facturum existimans, rogo plurimum maiestatem vestram, ut decretum consulum Cracoviensium, quod meo iudicio iustum esse videtur, approbare dignetur, nec prius de inofficioso testamento agi permittat, quam quid in scripto contineatur, possit apparere. Namque id ob signato testamento de iure fieri nequit, dum constet defunctum intestatum non decessisse. Hac enim re maiestas vestra et defuncti ultimam voluntatem, quae apud omnes

sancte

sande custodiri solet conservabit, et iustitie sue
 clarum dabit documentum, siquidem et aper-
 to testamento erit integrum domino Glinshi
 impugnare coram iudicio civili, quidquid non
 legitime defunctum fecisse iudicant. Ego me
 et omnia mea maiestati vestra rursus sup-
 pliciter commendo, quam semper felicem esse
 et cum serenissima sua prole incolumem diu
 vivere vehementer opto. Datum in Bodzanoyrn

Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 25 horizontal lines across the page.